Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1865
Quelle:
Copyright:

inter papiſtica et Lutherana. Hanc formam uolumus ne ampleƈti et adiuuare, an uero nos ab ea ſeiungere. Expenduntur deinceps rationes in utramque partem, et adverſis acceditur.

XXXVIII. *fol.* 258. *Epigrammata in Juris Canonici Incendium Heliodori Alexicaci.* Quaſi dicas *Propulſantis Mala.* Notum ex Hiſtoria, *Lutherum* a. 1520. ante Portas *Wittebergae* cum quibusdam *Eccii*, *Emſeri*que Scriptis etiam *Juris Canonici* Libros igne aboleviſſe, totusque Scenae adparatus deſcribitur in *Struvii Biblioth. Libb. rarior. Theca I. p. 135. Jenae 1719. 4.* Non defuiſſe celebrando Eventui, ut genus irritabile eſt, Vates, praeſens docet Συλλογη acerbarum cum in Jus Can. tum in *Leonem* X. Inveƈtivarum partim Diſtichis, partim Scazonti incluſarum. Numero ſunt XIV. non unius, ut putem, ingenii. Primum incipit:

Scilicet ut uarijs tu ſemper in æthera pennis
Sic etiam ad ſuperos nunc leuis inde uolas
Grata favilla Deo &c.

Scazon praeplacet, quorum unus *Epitaphium*, alter *In Papam ridicule circumveƈtum nuper in Bacchanalibus Ludis* inſcribitur, quo etiam *Eccius*, *Emſerus* et *Mota*, videlicet *Petrus* Ep. *Palentinus*, de quo *Alv. Gomecius* L. VI. *de Vita Franc. Card. Ximenii Hiſp. illuſtr.* T. I. p. 1107. videri poteſt, atro ſale perfricantur. Poſtremus *Semigræculus*, *Semijudaeus*, *Sycophanta*, *Semitrinummus* audit. Adhaeret Elegia longior: *An Doƈt. Martinus Lutherus uel iuſta ratione, uel temeritate reformationis tragediam mouerit*, cujus initium:

Lutherus magnum, iuſta ratione, per orbem
Multa dedit multis diſcutienda uiris &c.

XXXIX. *fol.* 264. Comparatio 72. *Diſcipulorum* Chriſti cum totidem *Ordinibus* Eccleſiae Rom. ſive, ut ait Noſter, *Antichriſti*, cum variis Verſiculis vernaculis injuriis in Pontificem, levis momenti.

XL. *fol.* 268. *Aulæ Cæſarianæ conſideranda hoc tempore.* Additur in margine: *Georgij Vicelij*, et ad calcem: *Anno 1549. men: Julij. Geor. Vicelius. Theo: Maximus ſcripſit.* Quae verba ab infeſto Librario addita totius Scripti fidem dubiam reddunt. Incipit illud: *Ineuitabili neceſſitate vrgetur Cæſarea maieſtas, vt quod foeliciter coepit, foeliciſſime abſolvat, et niſi perficiat, niſi inſtet ac finem ſeditionibus Hereticorum imponat, erunt nouiſſima peiora prioribus.* Perluſtrantur deinceps Proteſtantium Provinciae, eorumque conſilia atro carbone notantur,